# MUNDUS PHILOSOPHICUS A IO. BAPTISTA VECCHIO ACADEMICO PHILOMATO...

Ioannes Baptista Vecchius






# MVNDVS PHILOSOPHICVS

A IO: BAPTISTA VECCHIO ACADEMICO PHILOMATO

PVBLICÆ DISPVTATIONI EXPOSITVS.




FOELIX
AB ORDINE
VIRTVS





# SERENISSIMO
# FERDINANDO II.
# MAG. ETRVRIÆ
# DVCI V.

Ioannes Baptista Vecchius Fœl.



*IEM illum, quasi vestrum intueor, SERENISS. PRINCEPS, quò primum cælestes ſyderum Orbes operoſæ lucis vim, & potestatem illustrē in res inferiores nouo beneficij incremento acceperunt. Scilicet Diuina Prouidentia natali illo Syderum die minora populariter ornata ſui iuris non fecit: illuſtrioribus paucis liberiorem quandam, ac veluti regiam potestatem dedit: stabilem quidem, & ab eodem Cæli corde, ſeù lucis fonte manantem, ſed quæ tàm vario refluit ad mortales aſpectu, vt planè constet in illa etiam innubi claritate, quàm ſælix*

*ſit*


*ſit ab ordine virtus. Typus inde non magis familiæ, quàm virtutis tuę expreſſus eſt, Sereniſsime Princeps, cum in Ætruriæ Cælo gentiles Orbes veſtri diuinæ vocis imperio ad Jmperium Populorum extiterunt: adeò regium ſplendorem, quem ab vno luminum Parente recipiunt certo ſapientiæ ordine inflectunt, vt Bonis benè ominentur, malorum conatus minaci fulgore deterreant. Vetera omnibus nota beneficia ſunt. Recentia ego etiam ab ipſo Jmperij tui ortu cum admiratione ſpectaui: Mirabuntur & Poſteri cum in difficillima tempora incidiſſes, laudes tamen tuas primariũ ſtatìm locum tenuiſſe. Teſtis erit hinc populorum ſedata fames, depulſæ peſtes, ſemota bella, iuſta pax, decora tranquillitas: Teſtes inde pacata non ſemel Pyratarum naufragijs Maria, mitigata hoſtili ſanguine terrarum incendia, quas Chriſtianæ Reipublicæ hoſtium faces, ac furiæ pene deuaſtarunt. Sub hoc ego Cælo, dum ex vtraque Philoſophia ſtudiorum meorum primitias, Patriæ Lege, inflores emittere tento, vt fælici ſub ſyderæ tutius prodirent, ad gentilium Orbium tuorum ſplendorem me verti, quos à Parente meo à primis vſque annis veneratos, & audiui, & vidi: & quorum aſpectum mihi, ac fratribus meis obſeruandum ſemper praſcripſit. Vtinam iſta Syderum clementia dignos flores darem! Audacem tamen me fecit obſequium, & fortaſse non ſine laude; nam vulgares etiam, aut coloris, odoriſue pompas trahunt: aut fælicius aliquando in fructus animantur, ſi fæcundo Aſtrorum irradientur obtutu.*


*Diu fælix regna.*

MVN-



# MVNDVS PHILOSOPHICVS.





VNDVM fuisse a Deo traditum disputationi mortalium sapientissimus olim Rex non è tripode, sed è solio cecinit. Scilicet humano par ingenio non nisi Mundus Theatrum est. Hic ego vires animi omnes, totam hic mentis alacritatem ad veritatis indagationem exero, eamquè, quæ supremo Architecto placuit Orbi terrarum per sex dies Creando, partitionem secutus, meas Theses propono. Eccl. cap 3

## Dies Mundi Primus.

1 PRimogenita, vt loquitur Ambrosius, Dei Creatura Cælum fuit. Cælum interpretor Empyreum, quod non æternum, & increatum, vti malè sensit Eugubinus in Cosmopœia, sed initio temporis productum ex nihilo sedes est pulcherrima Beatorum; Vsq; adeò cordi fuimus Diuino opifici, vt primum, quod moli- li 1. exam. cap.6.

moliretur opus, nostræ Regnū fœlicitatis esse voluerit.

2 Empyreo præstantissimo corpori concreata est materia prima entium imperfectissima: nimirū vt quàm ex illius pulchritudine, cuius ad delicias destinabamur, potuissemus haurire superbientis animi elationem, huius deformitas, quæ paulo post in nostri erat compositionem ventura, refrenaret.

lib. 1. adversus Hermogen. li. 1. Phys. t. 57. 3 Materiam hanc non Deo coęuam, vt Hæretici Hermogeniani apud Tertulianum mentiebantur, sed creatam, vt dixi Aristoteles ex mutatione substantiali, quę transitus quidam est, rectè probauit, esse vnum ex principijs rerum naturalium, appellauitq; Subiectum, cui alia duo adnexuit inter se contraria Priuationem, & Formam, illam vt terminum a quo, hanc vt terminum ad quem. Ignem adeò Heracliti Aerem Anaxagoræ, Aquam Thaletis Milesij, Terram Hesiodi, athomos Anaximandri, atq; Democriti, Platonis magnum, & paruum, Pythagoræ par, & impar, aliaquè Commenta veterum ex albo principiorum libenter expungo.

li. 1. Phys. t. 42. 4 Hæc autem tria, quæ nominaui, principia benè describuntur. Quæ non fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, & ex his omnia. In qua descriptione particula, Ex, habitudinem significat elementi, vel permanentis, vel transeuntis; permanentis quidem ratione materiæ, ac formæ, quæ remanent in rebus iam productis, transeuntis autem ratione priuationis, quæ transit, ac perit. Neq; verò nouū est impertiri elementi nomen rei transeunti, nam cibus communiter dici solet materia, seù elementum nutritionis, qui tamen in ipsa nutritione non permanet, docentquè Theologi substantiam panis, & vini esse materiam Sacramenti Eucharistiæ, quamuis in illo non perduret.

Por-

4 Porrò materia est ens quoddã substantiale incompletum, quod in septimo Metaphysicæ per conceptus negatiuos, sed longè melius in 2. Physicorum per prædicata positiua hunc in modum explicatur, *Materia est primum subiectum vniuscuiusquè, ex quo fit aliquid, cum insit, & non secundum accidens, etsi corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*. Atquè hinc eius ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem colligo, quamquàm enim Deus, qui liberè illam conseruat sicut liberè creauit, si velit suspendere concursum suum, potest eam destruere, id tamen agenti naturali minimè conceditur, quod tàm in motu generatiuo, quàm in corruptiuo subiectum requirit. Quì ergò generari poterit, aut corrumpi materia, quæ primùm subiectum est? alioquìn progrederemur in infinitum.

tom. 8.
tom. 12.

5 Formam genericã corporeitatis sibi coæuam materia non habet, pro qua olìm Auicenna, postmodum Recentiores aliqui Philosophi, sed sine palma pugnarunt. Nulla siquidem reperitur forma, quę præcisè det esse genericum, quin det simùl aliquod esse specificum in eo genere, vt patet inductione, tùm in formis accidentalibus, tùm in spiritualibus entibus; qualitas enìm, quæ tribuit subiecto esse coloratum, eidem tribuit esse album, vel nigrum, & in Angelis id quod dat rationem genericam spiritus, dat quoquè propriam differentiam specificam Gabrielis, aut Michaelis. Contrà etiam fateri debemus, id, quod dat esse specificum, dare simùl esse genericum, ne concedere cum absurditate cogamur tot formas Physicas in aliqua re, quot in ea sunt Metaphysici gradus.

lib. 1. suff. c. 2.
Zab. lib 2. de mat. c. 17.

6 Non tamèn negauerim, poni posse in materia quantitatem coæuã quasi proprietatẽ eius inseparabi-

 lem:

lem: Cœterum nuda prorſus eſt, ac natura ſua expers omnis formæ ſubſtantialis, appellaturq. non immeritò pura potentia eſſentialitèr receptiua formarum, ad quas non modò non repugnantiam, ſed inclinationem quoque habet poſitiuam, innatumquè appetitum.

7 Ità verò eſt pura potentia, vt non excludat actum quem vocant entitatiuum, ſiuè propriam exiſtentiam, quam ſanè non habet formalitèr à forma: tùm quia eſſentiam habet propriam ab eſſentia formæ diſtinctam, eſſentia autem rei poſita extrà ſuas cauſas non diſtinguitur ab exiſtentia realitèr; tùm quia ſequeretur, ab agente naturali quando producit, aut deſtruit exiſtentiam formæ generari etiam, aut corrumpi materiam. Immò probabiliſſimum cenſeo, ità materiam in exiſtendo non dependere à forma, vt poſſit per diuinam virtutem ſine omni forma exiſtere. In quo caſu conſeruaretur à Deo abſquè nouo peculiari concurſu; ſolum ille prior, qui ſufficeret, denominaretur quoadmodum ſupernaturalis, non quoad ſubſtantiam, quatenus non abſolutè, ac ſimplicitèr, ſed ſolum hìc, & nunc in talibus circumſtantijs materiæ non deberetur.

8 Hìc etiam dies formas peperit ſubſtantiales: neq. enim materia creata eſt omninò informis. Eſt autem forma actus quidam ſubſtantialis, Diuini Exemplaris, vt Platonici nuncùpabant imago, cuius finis eſt, conſtituere vnum per ſe cum materia ſpecierumque varietatem inducere, in qua præcipuè ſita eſt totius pulcritudo vniuerſi. Educitur illa quidem, ſi de forma loquamur materiali, è potentia materiæ, non ità tamen, vt ſecùndum ſe totam, vel ſecundum gradus inchoationis in ea præextiterit. Ambæ deindè compoſitum ſubſtantiale à partibus vnitim, & collectiuè ſumptis realiter indiſtin-

distinctum, vel duplici, vel probabilius vnica solum intermedia vnione constant: Cur enim requiratur duplex, si vnam tantummodo intercedere inter Humanitatem Christi Domini, ac Verbum Diuinum intuemur? Quod si ex me quærat aliquis, quanam sub forma primo hoc die creata fuerit materia? aio cum Theodor. alijsquè Patribus, tùm Græcis, tùm Latinis, prodijsse formis Terræ, & Aquæ informatam. Quest. 5. in Genes.

9 Post hæc transactis tenebroso cum silentio duodecim horis imaginarij temporis omnipotens Dei vox lucem protulit, nimirum, aut ex diaphano aquarū corpore productam, aut ex Empyreo Cælo quasi expressam, & profusam in aquas: quæ à puncto Orientis, quod in Palæstina, siuè in Chananitide multi constituunt, exorta, ad Meridiem inflexit cursum, & itinere, versus Aquilonem reflexo duodecim horis nostrū Hemisphérium emensa in Occasu occidit reuersura ad Ortum, primumquè designauit naturalem diem. *Quid autem pulcrius luce*, inquit Hugo de Sancto Victore, *quę cum in se colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipsa quodammodo colorat?* Falsò dixere nonnulli apud S. Thomam in prima parte illam esse formam substantialem corporum lucentium; tùm quia Lux aspectu percipitur, nulla verò substantia per se sub sensum cadit; tùm quia substantia non suscipit magis, & minus, nullamquè patitur sui remissionem, aut intensionem, quam tamen lux habet. Neque etiam est corpus, vt Empedocles voluit, nec species ignis, vt Proclus ad Timæum Platonis docebat: ratio prioris dicti est, quia quando Lux permeat corpora perspicua, daretur naturalitèr penetratio; Cùmq; traiectio Lucis in momento fiat, aliquod corpus in instanti moueretur, quę sanè censentur apud Conimbr 1. de Cælo c. 7 q. 5. art. 5 2. quæst. 67. art. 3. 2. de An. c. 7. in comm. cap. 3.

absurda: ratio posterioris est, quia Lux in glacie manere non posset, sed illicò extingueretur, nec lucida essent ea corpora, quæ ignea non sunt. Est igitur lux merum accidens, siuè, accidentaria qualitas, quæ describi solet, *Actus perspicui, vt perspicuum est*. In eius reflexione intensio prouenit ex lumine terminato per subordinationem ad luminosum principale. Fit autem hæc intensio, sicut in cæteris qualitatibus, per additionem graduum, quos non est necesse ponere Heterogeneos.

## Dies Mundi Secundus.

1 OPus huiusce diei fuere cælestes Orbes in medio aquarum conditi; qui Aquas diuiserunt ab aquis. Placet ad hanc rem solius Tertulliani verba proferre plenissima maiestatis, *Cuncta*, inquit, *desuper crystallo consequente, idest Cælo omnia operiente, quod in firmamentum de Aquarum fluente materia fuerat Deo iubente solidatum, vt glacies robusta aquarum Terram pridem contengentium diuidens medietatem dorso quodam pondera superioris Aquæ corroboratis de gelu viribus sustineret*. Quare non equidem cum Platone compono Cælum ex floribus, seù, vt Proclus loquitur, ex delicijs Elementorum, non ex Igne, & Aere cum Empedocle, non ex Terra cum Thalete, sed cum grauissimis Ecclesiæ Patribus ex Aqua.

lib. de Trinitate c. 8.

apud Conimbr. l. 2. de Cælo c. 2. q. 5. art. 1

apud Salian. t. 1.

2 Rectius adeò, me iudice philosophantur, qui Cælum faciunt ex materia nostrate compactum, quàm ij, qui ex diuersa moliuntur, aut qui corpus omninò simplex, & quintam nescio quam essentiā nominant. Neq; verò quidpiam indè sequitur incommodi absolutæ incorruptibilitati Spherarum, nexus enim indissolubilis

nul-

nullum patitur inter eas Formas, & Materiam naturale dissidium, atq; diuortium.

12 Sunt autem præter Empyreum Orbes decem; primo, atq; infimo loco Luna, secundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, sexto Iuppiter, septimo Saturnus, octauo Firmamentum, nono, ac decimo, qui communi appellantur nomine, Glacialis, siuè Crystallinus. Non sunt animati, vt Chaldæi opinabantur, neque enim aut nutriuntur, aut sentiunt, aut intelligunt. Nec effectiuè mouentur a propria forma cum sint indifferentes ad motum versus hanc, vel illam partem, sed singuli a singulis Intelligentijs, quas Naturæ præstantissimæ creauit Deus primo die, *Tanquàm administratorios Spiritus*, vt Paulus aiebat, *Propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. ad Hebr. c. 1.

13 In cælestibus Orbibus hæc præcipua reperiuntur accidentia. Quantitas cū figura Sphærica, Soliditas, Lumen, Raritas, & Densitas, Opacitas, & Perspicuitas, Motus, & Vis actiua: quæ omnia præter duo postrema cum accidentibus rerum sublunarium conueniunt. Nam primo formalis ratio quantitatis vtrobiquè consistit in extensione partium in ordine ad se; vtrobiq; non ex indiuisibilibus, sed ex partibus diuisibilibus in infinitum, quæ tamen in ea non sint actu distinctæ, componitur quantitas; vtrobiq; substantiam materialem, cuius est physicum accidens, extendit. Deinde non habemus, vnde colligatur essentiale discrimen inter alia pleraq; Cælorum, quæ numeraui, accidentia, & hæc nostratia. Discrepant quidem motus eorum circularis, & noster, inferiora enim corpora mouentur naturaliter motu solum recto, qui specie differt a motu circulari, quo naturaliter mouentur Cęli; et si

ali-

aliquando hæc ſublunaria circulariter mouentur, id, vel eſt merè ab extrinſeco, vel motus erit vitalis, aut liber, vt accidit in equo cum à ſeſſore in gyrum agitur, aut in homine, cum liberè ſe ſe verſat in Orbem: motus, autem Cælorum, neq; intrinſecè vitalis, neq; liber eſt. Vis etiam actiua ſaltem aliqua per quam influunt, videtur ſpecie diſtingui à virtute actiua noſtrorum agentiũ, quia non eſt improbabile, principium proximum occultorum influxuum eſſe quid à lumine, ac motu diuerſum.

14 Vim ergo actiuam, vt modo dicebam, hãbent cæleſtes Orbes in hæc inferiora; Quis neget? Nam Polus Arcticus magnetẽ, Sol Heliotropiũ trahit, Oſtrea, Conchilia, & Conchæ augmentum, & decrementum cum Luna recipiunt. Quare nonnulli, quibus ego aſſentior, Cælo, vt ab Intelligentia moto tanquàm cauſæ principali attribuunt non ſolum productionem Lapidum, ac Metallorum, Plantarumque ſpontè naſcentium, ſed animalium quoq; imperfectorum, quæ de putri materia paſſim gignuntur.

Ariſt. li. 4. de par an. cap 5. plin. lib. 2. c. 41.

15 Agunt etiam in hominum corpora, quibus multum conferre, vel obeſſe Aſtrorum congreſſiones Galenus docuit: quorumq; humoribus aliquos dominari Planetas opinantur Aſtronomi Martem flauæ bili, Saturnum atræ, Lunam pituitæ, Solem, & Iouem ſanguini. Addunt præterea ordinem menſium, quibus in vtero geſtatur fœtus, Planetarum ordini reſpondere, primum Saturno, ſecundum Ioui, atq; ita gradatim, rurſuſq; octauum Saturno, Ioui nonum. Quæ cauſa inter alias à quibuſdam creditur, cur octimeſtris partus rarò vitalis eſſe ſoleat, quia nimirum id temporis Saturnus noxium, & ferale ſidus frigiditate ſua tenerrimo infanti vires imminuit. In animam verò rationalem

l. 3. de diebus crit.

apud Conimbr. l. 2. de Cælo c. 3. q. 1 art. 2.

lem,eiusq; spirituales potentias non operantur nisi indirectè,vti definitum est in Concilio Bracharensi primo contra Priscillianum Hæreticum; quod fieri potest per alterationem organorum, humorumquè. cap. 9. & 10.

16 Eodem hoc die ignis primum extitit, & Aer,vt spatium illud quod Aquę in cœlestes Orbes addensatę prius occupabant sua ipsi mole, ne daretur vacuum, replerent. Est Ignis elementum cum cœteris comparatum excellentioris naturæ, sic prorsus, vt eius nomen ne ipsa quidem Diuinitas respuat, quæ tùm in Sacris litteris, tùm apud Dionysium Areopagitam Ignis appellatione penè dixerim gloriatur. Non in medio Mundi, quod Pythagoræi existimabant sedem habet, sed circa lunaris Cæli concauam superficiem, quod mihi persuadet conatus flammæ etiam cum ruina montium ad supera enitentis. Neque obstant Rabanus, & Strabus, qui apud Magistrum Terrestrem Paradisum pertingere ad Lunarem globum censuere; vel enim loquuntur per hyperbolem ad loci secretionem, & altitudinem significandam, vel per similitudinem, vt interpretatur Diuus Thomas,quasi locus ille pulchritudine, ac tranquillitate similis planè sit Regioni cælesti, quæ incipit à Lunæ globo. Deut.c.4. Arist. l. 2. de Cælo c. 13. in 2. dist. 17 1.p.q.102. art.1.

17 Inest Igni elementari summus calor cum summa siccitate coniunctus, inest maxima raritas, & puritas, ob quas nec à nobis videtur, nec est multum actiuus. A leuitate motricium qualitatum nobilissima velut ab instrumento mouetur sursum quamuis deindè ad motum Cœli superioris rapiatur in gyrum. Alius Ignis impurus est, ac mistus aspectabilis a nobis, & ab Herodoto nuncupatus auidissima, & inexplebilis bellua, quæ quanto plura consumit, tanto fæcundius se parit. apud Conimbr l. 1. de Cælo c. 2. q. 5. art. 2.

18 Ele-

18 Elementum Aeris calidum ex se, atq; humidum, suprà Terram, & Aquam, quia leue est; sub Igne, quia non est leuissimum, à Natura constituitur. Animaliũ vita eius largitas est, quoties enim respiramus, toties Aeris beneficia experimur. Tres in Regiones à Philosophis diuidi solet, infimam, mediam, atq; supremam. Infimam totum illud spatium prope Terram complecti volunt, in quo diurna reflexio radiorum solarium notabilem calorem producit. Supremam à concauo Sphere Ignis vsq; ad eum locum, in quo generantur pluuiæ, metiuntur, Media iacet inter has duas.

19 Aer multa nobis exhibet spectacula, siuè quæ fiunt ex vapore, qui halitus quidam est calidus, & humidus ab Aqua extractus, siuè quæ conflantur ex exhalatione, quæ halitus est calidus & siccus extractus à Terra. Ex vapore gignuntur Nubes, Pluuiæ, Niues, Grando, Glacies, Nebula, Ros, & Pruina. Nubes est vapor addensatus in secunda regione Aeris: alia dicitur sterilis, quæ pluuias non parit, sed afflatu Ventorum, aut vi cælestiũ corporum resoluitur in Aerem; alia fœcunda, quæ proxima est materia pluuiarum. Quid enim aliud pluuiæ sunt, quàm nubes in aquam solutę? Cum crebriores tenuioresq; guttæ ob vaporis tenuitatem decidunt, imber est, cum grandiores propter vaporem à frigore magis condensatum, nimbus. Pluuias portentosas, hoc est sanguineas, lacteas, Lapideas, & Metallicas aliquandò contigisse narrant historiæ: Fidem inter cætera superare videtur quod narrat Linturius, anno 1496. iuxtà oppidũ Munchperge pares gallinaceis ouis pluisse lapides, in quibus videbantur hominum vultus, & diademata.

20 Nix vapor est humidus cum aereo, siccoq; ter-

restri

restri permixtus, in Media Regione congelatus. Candor eius oritur, tùm ex frigiditate, quæ in quibusdam rebus est causa candoris, vt in Populis ad Septentrionem degentibus intuemur, qui candidiores sunt: tùm ex partibus magis aereis, quæ si temporis progressu extabescant, Nix ruborem præsefert. Grando generatur, cum Aqua pluuia priusquàm Terram pertingat, in gelu cogitur: tàm in Media, quàm in infima Regione aeris habere potest causas ad sui productionem idoneas, frigus nempè, vel calorem ambientis corporis antiperistasi intercedente. Cum decidit figurata in globum, altiori in loco Ortum habuit, atteritur enìm longo itinere deuoluta; cum grandior est, & acutis angulis asperior, è proximo ruit. Cecidisse interdum grandines non minores humàno capite, refert Isidorus.

Arist. 5. de Hist. Ani. c 19.

plin li. 11. c. 35.

apud Conimbr. in Meteor. tr 7. cap. 6.

21 Glacies est aqua in Stagnis, Paludibus, Fluminibus, alijsq; eiusmodi locis cõgelata ob exuperantiam frigoris, admixtionemq; terrestris exhalationis, quæ cum sit crassior, cõgelationẽ summopere iuuat. Vtrum Mare congelascat saltèm aliqua ex parte, nemini dubium esse potest, si credimus Olao Magno, qui Mare Gothicum sic aliquando congelari tradit, vt Naues in eo non Remora detinente, sed gelu persistant immotæ. Glacies, cum obdurescit in crystallum, pretiosa est, cum liquescit in cyathis deliciæ mortalium. Libet exclamare cum Plinio. Heu prodigia ventris: Hi Niues, illi glaciem potant, pœnasq; montium in voluptatem gulæ vertunt.

lib. 11. de rebus Sep. c. 30.

lib. 19. c. 4.

22 Nebula ex reliquijs nubium, pluuiarumq; conficitur, quæ incubans terræ caliginem facit. Roris, ac pruinæ materia exiguus, & subtilis vapor est, qui a frigore Serenæ noctis, si temperatum sit, in rorem stringitur, si vehemens, in pruinam. Mellis opificium, quo-

niam de rore loquimur, huiusmodi eſt. Quando ſimul cum vapore illo, ex quo res gignitur, partes aliquæ terræ ſubtiliores præſertim ſublucanis temporibus efferuntur, ex varia commixtione temperationeq. harum partium cum humido tenui, ſi humidum aqueum non multum diſſoluatur, ſuccus prædulcis exiſtit, qui Herbis, Folijs, Floſculis excipitur, vnde vtetculis congeſtus ab Apibus in aluearia conuehitur, & mel appellatur.

23 Exhalationum partus longè ſunt admirabiliores. Præcipui à Recentioribus numerantur flamma, Capræ ſaltantes, lancea, ſydera diſcurrentia, ſtellæ cadentes, ignis perpendicularis, ignis fatuus, ignis lambens, Draco volans, Caſtor, Pollux, & Helena, Fulgura, Fulmina, Cometæ.

24 Flamma, ſiuè fax tunc apparet, cum exhalatio plurima ſubtilis in longum, & latum æquè diſtenſa, vel per antiperiſtaſim, vel per motum velocem igni corripitur, ſubitoquè inardeſcit. Capræ ſaltantes tunc eueniunt, cum materia in longum magis, quam in latum protenſa eſt, habetque ad latera quaſi fila quædam inter ſe diſtincta, ad quæ dum ea ſuccenditur, excurrit ignis in morem ſalientium caprarum.

25 Lancea, quod phœnomenon alij trabem, alij iaculum nominant, tunc fit cum materia æquali craſſitie in altitudinem porrigitur, ac ſtare quodammodo videtur immobilis. Sydera diſcurrentia dupliciter contingunt, vno modo, cum exhalatio promiſſa in magnam longitudinem ſicuti filum, aut funis aridus à ſuprema parte, in qua incendium ſuſcitatur, verſus partes inferiores tota ſuccenditur: alio modo cum exhalatio propter accenſionem leuior in ſublime volat, vel aeris, nubiumue frigore compreſſa in latus fertur. Quod ſi deorſum

ſum

ſum extrudatut dicitur ſtella cadens.

25 Ignis perpendicularis eſt exhalatio benè cohærens, ſed infernè craſſior, supernè ſubtilior, ità fit, vt pars inferior à calore dilatata baſis formam, pars autem ſuperior figuram columnæ, ſiuè perpendiculum ſuprà baſim repræſentet. Ignis fatuus ex viſcoſa, ac benè conglutinata exhalatione compoſitus in infima aeris plaga locum habet, vbi per antiperiſtaſim nocturni frigoris, vel per colliſionem partium exhalationis inter ſe accenditur, cumq; ad motum propulſi aeris facillimè agitetur, modò inſequi ambulantem hominem videtur à tergo, modò à fronte præire, atq; ex huiuſmodi ludicro curſu Fatuus eſt appellatus. Heu nos miſeros, ſi etiam Elementa delirant.

27 Ignis lambens eſt flamma genita ex rara, ſubtilique exhalatione, quæ per aerem diſperſa conſueuit aliquandò hominum, & brutarum animantium capillis inhærere; oriturque interdum ex ſudore animalium præcalidi temperamenti, cum velociori motu incaleſcunt.

28 Draco volans ea nuncupatur impreſſio, quæ varijs in partibus difformis ventrem, caudam, & os Draconis ignem euomentis exprimit: Caſtor, Pollux, & Helena ex pinguiori halitu gignuntur; Flammæ ſunt, quæ Nauigantibus apparent; priores duæ, ſi geminis Antennis inſiderent, fauſti ominis credebantur ab Antiquis, exhalationum enìm in duas partes diſtinctio materiam eſſe rariorem oſtendit, & quæ incipiat diſſipari; tertia verò cum ſola emicabat, infauſti, quia materiam indicat eſſe firmius cohærentem, & diutius in aere perſeueraturam. Scilicet parum fuerat Helenæ, incendium peperiſſe Troianæ Vrbi, vt fœmina ſit Hy-

dra malorum, debuit etiam nautis creare naufragia.

29 Fulgur non eſt ignis, qui diſtillet ex æthere, vt exiſtimauit Anaxagoras, ſed exhalatio in colliſione nubium accenſa. Prænunciare ſolet tonitruis coniunctum fulmina. Tonitruum eſt exhalatio cum vaporibus permixta, quæ per nubis cauitatem huc, atq; illuc diffugiens, & exitum ſibi quærens, magno tandèm impetu in nubem impingit, eamq; diſrumpens ingentem ſonitum edit. Fulmen eſt exhalatio intrà nubem reluctantem coacta, ex qua deindè vi maxima excutitur. Tria eius genera facit Seneca: primum, quod ob nimiã tenuitatem ſubtilitatemq; terebrat: alterum, quod diſſipat, quia valdè conglobatum eſt, ictuquè rumpit, & non permeat: tertium, quod vrit; Cuius materia magis ignea eſt. Exhalat aliquando ſulphuris odorem, vel ob halitum ipſum è ſulphurea terra euocatum, redolentemq; natiuum ſolum, vel quia ſpiratio, in qua ardet, multum habet ſulphureæ concretionis; poteſt enim ſicut in terræ viſcerib. ità in aere ſulphur gigni, quemadmodum & lapides ideoq; ſæpè fulmina lapidem vehunt, quem cuneum vocant. Motus fulminis eſt irregularis, plerumq; tamen obliquus, quæ cauſa eſt, cur frequenter præaltas Turres feriat. Effectus omninò mirabiles parit; quis namq; non admiretur, vagina, ſauliſq; intactis liquari enſem, & aurum; integra carne oſſa comminui? Hæc autem euenire putauerim ex qualitate materiæ fulminum primi generis, quæ cum rarior ſit, rariora, & poroſa corpora facilè permeat, ac citrà iniuriam, durioribus verò, atque obſiſtentibus propter eximiam efficacitatem interitum portat.

lib 1. Natur. quæſt. cap. 40.

30 Cometa ex ingenti maſſa exhalationum cum vaporibus craſſioribus permixtarum habente partes ali-

quas

quas bituminosas, & optimè coagmẽtatas efficitur. Iuxtà diuersam materiæ raritatem, ac densitatẽ modò crines, modò barbam, modò caudam, modò stellæ perfectæ formam tanquàm aeris Protheus exhibet. Solet esse non tàm Regnis funestus, quàm ingenijs, quæ ad litterarias sæpè pugnas, sed incruentas inflammat. Bella verò, & perturbationes rerum publicarum ideò portendit, quia cum inducat maximam siccitatem, aerïsq; inflammationes, bilem exacuit, potissimum in viris Principibus, quorum delicatior ira ob adiunctam potentiam facilius efferuescit.

31 Venti (nam & ipsi ad ignitas impressiones propter materiæ affinitatem proximè accedunt) sunt exspiratio calida, & sicca vaporibus quoque interdum admixta. Diuersas pro diuersitate locorum, quà transeunt, induunt qualitates; idcircò Boreas est frigidus, & siccus, Auster calidus, & humidus. Verno præsertìm, atq; Autumnali tempore spirant, in quibus Terra, & Sol aptiores sunt ad exhalationes generandas. Mouentur autem in transuersum, quia vbi peruenerint ad mediam aeris regionem, ab humiditate, frigiditate, ac densitate, quæ inibi est deorsum expulsi resiliunt, cum verò ob insitam leuitatem iterum in superiora contendant, iterumq; repellantur, dum neutra pars alteram expugnat, nascitur motus medius, obliquus, & transuersus.

32 Ad impressiones, tàm aqueas, quàm ignitas reduci possunt cætera simulacra, & imagines, quæ visuntur in aere. Ex ijs primùm sunt hiatus, & foueæ; quando enìm serena nocte aliqua exhalatio medias sui partes habens densiores, reliquas ad latera rariores, inter nostrum aspectum Cælique lumen intercedit,

exhi-

exhibet similitudinem hiatus, atq; voraginis, quia nimirum in medio, quod ob densitatem minus illustratur, obscuritas vmbræquè apparent, ac proinde profunditas, & depressio.

33 Sequuntur Virgæ, Halon, Parelia. Virgæ sic dictæ, quia protenduntur in longum, proueniunt ex diuersitate densitatis, & raritatis, qua partes nubis ad Solis latera insidentis vario modo sparguntur. Halon, siuè Corona Lunæ magis, quàm Solis aliorumq; astrorum propriâ tunc cernitur, cum vaporum copia æquabili densitate circumuoluta in orbem corporis luminosi, sub quo est, radijs vndequaq; perfunditur. Parelia nihil aliud sunt, quàm Solis imagines in nubibus velut in speculis replicatæ.

34 Iride admirationis matre potius quàm filia hæc aeris quasi miracula claudenda sunt. Sic autem describitur. Iris est arcus multicolor, in nube rorida opaca, & concaua, ex radiorum Solis oppositi reflexione apparens. In ea tres præcipui colores numerantur, puniceus, viridis purpureus, iuxtà variam solaris lucis in nubem diuersimode opacam transmissæ, repulsæque ad oculos modificationem. Signum est ad placitum initi quondam fœderis inter Deum, & terram, quo ex diuina institutione significetur nunquam futuram totius terræ eluuionem.

## Dies Mundi Tertius.

35 NObilem fecere hunc diem aquarum in vnum locum congregatio, & indita telluri fœcunditas ad Plantarum omnium, ipsiusq; terrestris Paradisi productionem.

Debe-

36 Debetur aquis naturæ ſuæ relictis ſumma frigiditas, & humiditas. Locum obtinent ſub aere, pronaq; grauitate feruntur in centrum. aliæ dulces, aliæ ſalſæ ſunt, ex dulcibus Fontes, Flumina, Stagna, & Lacus, ex ſalſis Mare componitur, quod Hydrographi in quinque potiſſimum veluti capita partiuntur, in Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, Perſicum, Caſpium. Salſedinem maris aduſtæ præſertim exhalationes pariunt, adiuuante Sole, cuius ardore marina coquitur aqua, parteſque tenuiores exalant. Hinc eadem aqua, & ad piſcium nutritionem reddita eſt ſapidior, & ad onera nauigiorum ferenda denſior, & ad putredinem euitandam inſtructior.

37 Præter motum, quo aqua ob ingenitam grauitatem deorſum fertur alijs cietur motibus mare. Admirabiliſſimus omnium ille eſt, quo reciproca agitatione nunc ad littus accedunt aquæ, nunc in ſe redeunt, ac ſubſidunt; quem ſane motum, ſiuè marinum æſtum duratione, & intenſione varium aliqui referunt in Lunam, quæ humidis corporibus dominari dicitur, & quaſi præeſſe; nonnulli in multitudinem exalationum, atq; halituum, qui actione Solis ex intimo fundo terrarum aptè diſpoſito per calorem euocantur, & more ventorum ſpirant, donec diſſipati euaneſcant.

38 Regularitatem verò eius motus, vt nimirum ſenis horis augeatur, ſenis decreſcat, oriri aſſerunt ex terrarum ſubiectarum diſpoſitione, comparata cum actione Cæli fere ſemper in ordine ad eundem effectũ æquiualenti. Quid enim prohibet ab extrinſeco Solis calore pro certa qualitate terrarum maris incrementum, ac decrementum fieri paribus interuallis, ſi calor naturalis in animali pro certis humorum affectionibus defini-

fini-

finitis horarum ſpatijs febriū acceſſionem, abſceſſumq; perpetuò efficit, vt accidere ferunt in Leone?' Nempè ſuas etiam iras vti Leo mare habet, quæ febrili quodā-modo æſtu retundantur, ac temperentur.

39 Quid dicam de origine Fluuiorum, ac Fontium? multi haud dubiæ ex aquis per terræ latebras tanquàm per magni corporis venas à Deo diffuſis hoc eodem die in locis diuerſis emanarunt. Multi procedere poſ-
Baſil. hom 4. Hexam. Hieron. Iſid. ſunt è mari, quæ grauiſſimorum Patrum ſententia eſt; multi denique ex ſinu terræ, vaporibus, & aere inibi in-cluſis frigore concreſcentibus, & ſolutis continenter in aquam.

Orig & alij apud Conimbr. in Meteor tract. 9. c. 3

40 Poſt aquarum collectionem hoc eodem die diſ-cooperta terra vultum oſtendit; quæ prius erat inanis, & vacua, non quidem in eo ſenſu, in quò Philoſophi de vacuo diſſerunt, hoc enim, nec de facto datur, vti docet experiētia, nec effici poſſe, vel ab Angelis virtute ſua na-turali, vel etiam à Deo de potentia ordinaria, probabi-liſſimum eſt, ne ſcilicet aurea hæc rerum ſeries, atq; or-do pulcherrimus in Homerica illa Catena ſignificatus diſcontinuetur, diſſoluaturq; inanis ergò, & vacua di-cebatur terra, quia carebat hominibus, & cæteris ani-malibus, à quibus habitaretur, Plantis, quarum or-natu conueſtita niteſceret, mineralibus, & reliquis mix-tis, quibus intrà viſcera ditaretur.

41 Sed prodijt illa tandèm, diuinoque ab imperio fertilitatem accepit, & germinandi poteſtatem; imò ne iaceret iners, & otioſa, illicò plantas effudit; ad quas non actiuè, ſed paſſiuè tantùm concurriſſe, materiā ſub-miniſtrando, communis eſt opinio aduerſus Caietanū.

apud Becan. in, 1. p

42 Plantæ, quarum genera numerantur Arbores, Arbuſta, Frutices, Herbæ, viuunt, animatæque ſunt.

quod

quod vt explicem præmitto, Animam in vniuersum describi actum primum corporis organici potentia vitam habentis, tribuiq; in Vegetatiuam, Sensitiuam, Rationalem; priores duas ad extensionem subiecti extensas, & diuisibiles, tertiam indiuisibilem, & inextensam.

43 Anima vegetatiua tres habet potentias principales, Generatiuam, Nutritiuam, & Augmentatiuam, ministrantes verò quatuor Attractiuam, Retentiuam, Concoctiuam, & Expulsiuam. De singulis aliqua indicabo. Potentia generatiua circa generationem viuentium versatur, quam rectè S. Thom. processionem viuentis à principo vitæ coniuncto secundum similitudinem naturæ definit. hac descriptione sufficienter explicatur, per quid ipsa conueniat, & differat ab aliarū rerum generatione, quæ dicitur mutatio totius in totū nullo sensibili manente, vt subiecto eodem. Sicut autem in vtraque verum est pronunciatum illud Aristot. Generationem vnius esse corruptionem alterius; ità in neutra requiritur accidentium resolutio vsque ad materiam primam, eandem quippe quantitatem, easdemque cicatrices videmus in Cadauere, quæ in homine viuo præfuerant. 1. p. q. 27. art. 2.

44 Potentiæ nutritiuæ munus est, reparare partes deperditas per alimenti conuersionem in substantiam aliti. Elementa pura non nutriunt, quemadmodum nec odores, qui tamen aliqua ratione interdum spirtus excitare possunt. Augumentatiuæ est acquirere maiorem quantitatem seruata figura, & situ partiū viuentis.

45 Ex facultatibus ministrantibus, attractiua intus trahit alimentum, quæ, si loquimur de plantis, residet principaliter in radicibus, si verò de animalibus, in stomaco, vel aliquo simili. Retentiua alimentum, quod

valdè humidum, & fluidum plerumque est, detinet, ne diffluat. Concoctiua transmutat, expulsiua partes excrementitias eijcit.

46 Plantæ, vt ad eas reuertamur, sunt corpus naturale vegetabile, quod secundum alimentũ, augmentum, & nutritionem exercet operationes vitæ. Neque appetitum, neque desiderium vllum habent, vt quidam Platonici crediderunt, cum non moueantur ex apprehensione boni per species expressi, nec item dormiunt, & vigilant, vt aliqui Pythagorici in hac re parùm vigiles somniarunt; quamuis enim hyeme ob constrictionem ambientis frigoris humorem, caloremq; ab externis partibus ad internas conuertant, & ineunte verè cum dies illucescit, flores aperiant, quos noctu contraxerant, non tamen propreteà è somno, quem dulciter captauerint, expergiscũtur. Nec, vt verbis vtar Augustini, audienda est nescio, quæ impietas rusticana planè, magisque lignea, quàm sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbet, quę dolere vitem, quando vua decerpitur credit.

l. de quãt. animę cap. 33.

47 Suas itaque pompas, nempè proceras arbores, & comatas, herbescentem vna cum pratorum risu luxuriem, discolores flosculos, ac reliquam anni formosissimi supellectilem explicuit hoc tertio creationis die tellus. Sed quæro, carebant ne rosæ spinis? Affirmant Basilius, & Procopius, qui putant additas rosis spinas post Adami peccatum, velut inflictæ pœnæ monumentum, illicium lachrymarum. Alij negant, & meritò, quia rosam nasci cum spinis congenita quædam ipsi proprietas est. En speculum teste Ambrosio humanæ vitæ, quæ suauitatem suam finitimis curarum stimulis compungit.

Hexam. hom. 5.

lib. 3. Hex. cap. 11.

48 Ne-

48 Nefas eſt præterire ſilentio terreſtrem Paradisũ, hoc eſt ſedem deliciarum, voluptatiſque regiam innocentiæ deſtinatam. Sed vbi nam ſitus erat? Crediderim ad Orientem Palæſtinæ, ſiuè Cananitidis, non longè à Tigri, & Euphrate. An verò adhuc extet, multi concedunt, multi negant. Mihi probabile eſt illum extare, vt cum ſcholis loquar, materialiter, non formaliter, ideſt Regionem ipſam, ac ſolum ſupereſſe, ornatum, & elegantiam, vel ob aquas Diluuij, vel ob temporis edacitatem exoleuiſſe. Duæ in eo præcipuæ cernebantur arbores, altera, quæ dicta eſt lignum vitæ, altera lignum ſcientiæ boni, & mali. Prior vim habebat naturalem propagandæ vitæ longiſſimos in annos; Poſterior non ità appellabatur, quia ipſius eſu homines vsũ rationis acquirerent, vel euaderent eruditi, *Sed quia*, inquit Auguſt. *ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura tranſgreſſio, in qua homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum*. Hanc aliqui ficum, plerique Malum, alij Ceraſa fuiſſe putant; ſed fortaſſe tàm hæc, quàm arbor vitæ ſingularis fuere, & ſpecie à reliquis omnibus differentes. Salian tomo 1. An. lib 8 Gen. cap. 6.

49 Hæc foris terra peperit, quæ nam verò in ſinu condidit? ferrum ſanè, Argentum, Aurum, Metalla omnia, quæ tamen, vel effrænis ira, vel maleſuada voluptatum cupiditas, ad prælia, aut ad delicias eduxit in publicum. Cauſa efficiens principalis metallorum eſt Cælum, inſtrumentalis autem virtus Mineralis, quæ ex calore, ac frigore iuxtà exigentiam metallicæ formę attemperatis conſtituitur. Materia eorundem aſſignatur ab Auctoribus exalatio vaporoſa benè permixta cum prædominio humoris aquei magis cõcocta, quàm

Argentum viuum, & minus exusta, quàm Sulphur. Sic natura in terræ visceribus Metalla fabricatur.

50 Ars interim Naturę ęmulatrix conatur ipsa quoque aurum moliri. Nimirum satis haud est hominum auaritiæ, communem Parentem euiscerare, & in sede manium ignibus proximas inferis opes quærere. Equidem non sum ità perfrictè frontis, nec adeò humanitatem exui, vt Historicorum nulli credam, qui tot narrant experientias, in quibus visum est arte Chymica conflatum esse verum aurum. Certè si huiusmodi ars secundum se consideretur; probabile iudico si non ab homine, cui hoc difficillimum est, saltem ab Angelo, qui perfectissimam habet scientiam omnium naturalium, vt docet S. Thom. posse ad auri formationem necessarias causas, & qualitates attemperari. Presertim quod per artem actiua passiuis applicantem generantur interdum animalia, vt ex basilico herba certis locis ritè collocata Scorpiones, ex Iuuenco strangulato Apes, vermiculi serici ex semine intrà sinum recondito, ex ouis ad calorem ignis temperati appositis gallinacei pulli. Sic experimenta conuincunt. quamquam quod Garzonius asserit, fuisse à nescio quo distillandi perito productum in vitreo vase vi Solis, aut ignis puerulum, qui per instans animatus vixerit, fabula est, optimequè impugnatur à Delrio, tùm quia, vel debuisset Deus ex Lege, atque ordine, quem Naturæ præfixit, animam rationalem infundere illi corpusculo, vel anima rationalis educta fuisset de potentia materiæ cum præiudicio eius immortalitatis: tùm quia homo ille non fuisset obnoxius originali culpæ, cum non esset ex Adamo propagatus, nec redemptione Christi Domini indiguisset, quæ tamen sine errore, atque hæresi quis exsorbeat?

1. p. q. 57. art. 2.

Delr. l. 1 Dis. Mag. c. 5 q. 1. sec 5.

in foro vniuers. dis. 41.

lib. 1. c 5. q 4.

51 Quan-

51 Quandò incidimus in artem, ſubtexam aliqua diſcrimina, & conuenientias, quas habet cum Natura. Et Natura quidem ab Ariſtotele benè dicitur Principium, & cauſa mouendi, & quieſcendi eius, in quò eſt primo, & per ſe, & non ſecundum accidens. Sub qua deſcriptione, & Cælum, & materia, & formæ non ſolum materiales, ſed etiam anima rationalis, quà talis eſt, continetur. Non autem continetur Ars, cum ipſa non inſit primò in operante, neque illud tanquam prima forma conſtituat: quà item de cauſa grauitas, & leuitas excluduntur à ratione naturæ: atq; ex hoc primum capite Ars, & Natura differunt. Deinde illa in externa ſuperficie potiſſimùm verſatur, hæc maiora agitans in abdito rerum opificio impenſius deſudat: mentitur illa, nam efformat hominum ſimulacra, non homines; hæc haud fallax ipſiſſimas entium ſubſtantias, & accidentia profert. Demum forma naturalis in materiã inducta vim habet producendi, vt plurimum ſimilem formam, artificialis non habet, atque adeò hæc quaſi mortua; illa videtur viua.

lib. 2. phyſ t. 3.

52 Conueniunt in multis, vtraque enim nihil operatur ſine præiacente ſubiecto; vtraque ab imperfectioribus ad præſtantiora progreditur, vtriuſque opera certis regulantur Legibus, & artificialia quidem exprimunt idæam artificis, naturalia formam agentis. Denique ſicuti in natura, ſic interdum in arte ſuo modo effectus caſuales, & monſtra contingunt, qualia ſunt apud Plinium ſpuma Canis anhelantis, & ſpuma Equi, quas impacta cum indignatione ſpongia, ita Pictor neſcio quis ad viuum colorauit, vt fortuna in Pictura naturam fecerit.

li. 35. cap. 10.

53 Sed cui tandem dabimus palmam? ſimpliciter lo-

loquendo artem natura excellit, tùm quia hæc est sub stantia rerum, illa verò accidens superadditum; tùm quia natura est veluti finis artis, quæ tantò excellentior dicitur, quantò magis naturam imitatur. Nihilominus Ars perfectior secundum quid ipsa natura æstimari potest, quatenus in multis operationibus naturã dirigit, & illustrat in quo sensu circumfertur axioma vulgatissimum, Ars perfecit Naturam; vnde eleganter Tullius, *Nostris*, inquit, *manibus in rerum Natura, quasi alteram naturam efficere conamur*.

## Dies Mundi Quartus,

ITerum inuitamur ad Cælum, cuius contemplationi natum se fuisse profitebatur Anaxagoras. Hoc die Sol, & Luna, & Astra reliqua prodiere. Flores ne appellem, an gemmas? & quidem probabile est Deum in Orbibus cælestibus, quos secundo die produxerat fecisse nunc quasdam partes rariores, densiores alias, & densioribus nouas formas substãtiales, figuram sphæricam, lucem, ac motum dedisse.

55 Astra quædam fixa, quædam errantia sunt: suos habent Orbes, vel etiam epicyclos. Noua interdum generari nonnullorum fert opinio, confirmata, vt ipsi dicunt, experientiæ calculis: nam anno 1572. nouum sydus apparuit in signo Cassiopeæ magnitudine, ac splendore Venerem superans, quod deindè paulatim decrescens tandem post biennium euanuit. Anno etiã 1600. in pectore Cygni, & anno 1604. in genu Sagittarij visæ sunt aliæ Stellæ, quæ posteà communi lege mortalitatis obiere. Verùm Astrologi, Philosophiq; nobi-

nobiles respondent, Stellas illas non fuisse de nouo productas, sed aggregatum ex pluribus stellulis, qualem esse volunt circulum lacteum, quæ seorsim positæ visibiles non erant, vnitæ verò facile videri poterant ad modum vnius stellæ: atque id quidem dictum est probabiliter. Quod si ea sydera cõtendamus extitisse tunc primum, aio, supernaturali virtute fuisse procreata ob eos fines, quos oculata Dei prouidentia, *Quis enim,* teste Paulo, *cõsiliarius eius fuit?* mortalium cæcitatem latere voluit.

Ità Conimbr, l.1. Cæli cap 3 q.2.art.3. ad Rom. cap. 11.

56 Astra lucem habent aliquam sibi a natura inditã, vt apparet in Luna, quæ in Eclypsi ad instar sanguinis lumen reddit, quod sanè interposita terra tunc à Sole non mutuatur. Tàm ipsa nihilominus, quàm Astra cætera hauriunt ab eodem Sole plurimũ lucis, qui proptereà fons luminis à Sapientibus appellatur, & Planetarum Cor.

57 Conspiciuntur in Luna nescio, quæ maculæ, quarum aliæ faciem leonis venientis ab Occasu ad Ortum, aliæ vallium depressiones, montiumq; altitudines asperas efformant. Proueniunt autem ex partibus inæqualiter, opacis, atque perspicuis.

58 Circà Solem rotantur maculæ; quis crederet? Ità nihil præter Deum ab omni parte pulchrum est. Earum coagmentatio fit ex aggregatione plurium, variorumque corpusculorum opacorum quasi temerè concurrentium, quæ non habent certam figuram, & laterum terminationem, sed videntur quodammodo vellera, & flocci niuis, aut lanæ.

59 Solem, Lunam, & sydera produxit Deus, vt essent in signa, & tempora, Et in signa quidem, vel naturalium effectuum, nempè serenitatis, ventorum, tem-

pe-

pestatis, sterilitatis, fœcunditatis, aliorumque eiusmodi, quæ possunt Astrologi ex eorum obseruatione cum probabilitate prædicere: vel supernaturalium, vt fuit ea Solis regressio, recuperatam indicans ab Ezechia Rege diuinitus valetudinem.

Isai. c. 38.

60 Non sunt tamen signa, vt Planetarij vocant, fatalia, nec ex ijs præcognoscere certo possis actiones, casusue, qui ex humana voluntate pendent. Rationem affert S. Thomas, quia, vt suprà indicabam, corpora cælestia directo, ac necessario motu nihil influunt in intellectũ, & voluntatem, alioquin arbitrij libertas, pretiũque honestatis è medio tolleretur, nec homo ageret, vti Damascenus argumentatur, sed ageretur more belluarum. Scio interdum Astrologos vera diuinasse. Nato enim Nerone quidam enunciauit natum esse Imperatorem, matrem per summum scelus, impietatemque necaturum, quod cum audisset Agrippina infantis mater exclamauit occidat, modò imperet; vsque adeò dulce est regnare, vt mortem ipsam, cuius vel sola memoria amara est, condiat. Verùm is Neronis imperium prędixit, vel casu, & imprudenter, vel ex occulta dispositione diuinæ prouidentiæ, vel ex pacto cum Dæmone, qui non propriæ naturæ vi, sed per reuelationem sibi a bonis Angelis, ità Deo iubente communicatam cognoscit aliquandò res quasdam contingentes, & ventura prænunciat. Cæterum præsagia ex aspectu, concursuque syderum fallacissima sunt, meritoque a Vaticanis Oraculis damnata.

1. 2. q. 95. art. 5.

lib. 2. Fid. ort. c. 7.

Xiphilin. in vita Neronis.

61 Atque hoc pacto condita sunt in signa. In tempora verò, tùm quia Sol cursu suo accedens ad nos, & recedens quatuor anni tempora partitur, Ver, Æstatẽ, Autumnũ, Hyemem, & quæ hisce connexa sunt, tempora

pora ferendi, plātandi, metendi, vindemiādi, aliaq; cōplura, tùm quia duratione rerū creatarū inde metimur.

62 Etenim duratio triplex est in vniuersum, Æternitas, Aeum, Tempus. Æternitas propria solius Dei, quem implicat vnquam abesse deficere benè à Boetio dicitur *Interminabilis vita tota simul, ac perfecta possessio*. Appellaui solius Dei propriam, quia nec Mundus, nec alia vlla creatura existit, aut potuit existere ab æterno. Quid. n. tàm inconueniens exclamat Ambrosius, quàm æternitatem operis cum Dei omnipotentis æternitate coniungere? alij etiā Patres impensè docent de conceptu creationis, & creaturæ esse nouitatem essendi. lib. 5 de cō sol. prosa 6 li. 1 exam. c. 1.

63 Aeuum ijs rebus conuenit, quæ principiū habuere, sed finem naturaliter habere nequeunt, cum natura sua sint incorruptibiles. reliqua corruptioni obnoxia, tempore mensurantur.

64 Est autem tempus, cuius essentiæ indagandæ mirum quantum ingeniosissimus August. desudabat, numerus motus secundū prius, & posterius, idest mensura motus primi mobilis, seù potius Solis ab Oriente in Occidentē. Intelligitur verò numerus nō numerans, sed numeratus ab aīa, nec actu sēper nūeratus, sed nūerabilis. l. 11. Conf. c. 14.

65 Præter Dei durationem, quæ nihil est aliud, quā ipsamet diuina substātia incapax accidentiū omniū. aliæ durationes modaliter distinguūtur & ab existentia rerū, quæ durant, & à tempore extrinseco. Successiuæ quoque sunt in reb. permanentib. nō totæ simul, & indiuisibiles.

# Dies Mundi Quintus.

DVo in lucem prodiere agmina brutarum animantium hoc die, piscium alterum, alterum Auium,

viuumq; ex aquis, ita tamen, vt cætera etiam elementa aliquid in eorum productionem contulerint, corpora enim sunt verè mixta, in quibus virtute saltem, si non formaliter eadem remanent elementa.

66 In his primùm anima sensitiua sedem fixit; cui prçter omnes, vel aliquas ex ijs potentijs, quas animę vegetatiuæ suprà tribuimus, conueniunt aliæ nobiliores, quæ sensus appellantur, externi partim, partim interni. Externi sunt quinque Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus.

67 Visus, siuè oculi, opus naturæ sumptuosissimum, vt Plato aiebat, obiectum sibi adæquatum sortiuntur lu-
1.q.12. cem, & colorem. Ex quò principio deducunt Theologi, Deū, qui neq; lux est, neq; color; oculis videri haud posse. de luce superius egi. Color est motiuus perspicui secundum actum, & differt essentialiter a lumine. Colorum septem quasi capita numerantur, ad quæ cæteri possunt reduci. Albus, Purpureus, Ruber, Flauus, Viridis, Cæruleus, Niger. Visio non fit per extra missionem radiorum, sed perintus susceptionem, & ad eam species intentionales impressæ ab obiectis requiruntur. Non enim ego sum in eorum sententia, qui species negant, sed illas cum maiori, meliориq; Philosophantium parte concedo libentissimè. moueor, quia cum aliqua potentia est indifferens ad operādum circà hoc, vel illud obiectum, determinari debet ab aliquo, vt operationem eliciat: potentiæ autem sensitiuæ haud dubię indifferentes sunt; quid ni ergo determinentur? Sed à quo? non ab obiecto, quod interdum nō est præsens, vel existens, aut certe nō immediatè vniū potentiæ; igitur ab aliqua forma, quæ sit obiecti vicaria: atq; hæc vocatur species.

68 Obiectum auditus est Sonus, qui distinguitur à

motu

motu locali, & collisione corporum sonantium, acrisque intermedij fractione, ad quas resultat. Echo tunc auditur, cum sonus incurrit in aliquod corpus læue, & concauum, à quo veluti pila repulsus ad aures resilit; fitq; ex reflexione specierum intentionalium.

69 Odoratus obiectum est odor, non quidem fumea substantia, vel exhalatio, sed qualitas orta ex primarum admixtione, dominante calido, & sicco. Hinc arida, feruidaq; Arabiæ Regio optimorum odorum feracissima est; & Alexander ille, cuius victorijs angustus videbatur hic mundus, propterea suauem odorem è membris efflasse creditur, quod esset temperamento corporis prç-feruido, & igneo. Elementa, nisi mixturam habeant, non sunt odorabilia.

70 Obiectum Gustus est sapor, qui benè describitur affectio in humido aqueo facta à sicco terrestri, & calore decoquente, gustatum, qui in potentia est ad actum per alterationem deducens. Octo comuniter saporum species afferri solent. dulcis, amarus, pinguis, sallus, acer, acerbus, acutus, acidus.

71 Obiectum deniq; tactus præcipuum sunt primæ qualitates, quæ proinde tangibiles appellantur, secundæ verò secundarium.

72 Præter obiecta sensuum particularium dantur obiecta communia pluribus, quæ loquendo generatim sunt magnitudo, numerus, figura, motus, & quies. magnitudo est moles, figura eiusdem terminus. accipitur autem numerus materialiter pro rebus ipsis discretis, quæ sub sensus cadunt, non formaliter, quatenus inuoluere potest operationem intellectus.

73 Motus est actus entis in potentia, prout in potentia, quç definitio cõplectitur etiã instanraneas mutatio-

nes,nam hæ quantũ est ex ipsis relinquunt subiectum in potentia, atq; in in via ad perfectionem vlteriorem. Ex natura rei,tũ à subiecto,tũ à termino;ab actione verò,& passione cõceptu solũ definitiuo distinguitur. vnitatem specificam desumit à termino ad quem formaliter consi derato;numericã ab vnitate termini,tẽporis,& subiecti.

74 Quies est priuatio motus,quæ si nõ positiuè,saltem negatiuè sentitur, quatènus obiectum sub quadam consistentia percipitur, non sub mutatione, ac fluxu. atque hæc circà sensus externos.

1.p.q 78. art.4. 75 Internos quatuor enumerat S.Th. Sensum com munem,qui de obiectis, & actib.externorũ sensuũ dijudicat:Imaginationem,seù Phantasiã,quæ cõseruat species per sensus acceptas, ferturq; in obiecta sensibilia, quãuis longè absint, Aestimatiuam,(in homine cogitatiuam nuncupant) quæ res etiam non sensatas percipit, mouetq; appetitũ sensitiuũ ad prosecutionem boni, vel mali fugam; vt cum hirundo colligit paleas,quia sunt vti les ad construendum nidum, & cum ouis Lupum fugit quasi inimicum sibi.Memoriam, in qua demũ tanquam in thesauro eiusmodi species magna ex parte reponuntur, vt iterum inseruiant.

76 Hoc igitur die sentiens anima Pisces, & Aues animauit. Ac primum genera piscium quis percenseat? in exam. *Certè id perindè est*, inquit Basilius,*atque si quis æquoreas vn das enumerare,aut metiri poculis aquas maris aggrederetur*. quidam in alto versantur, littoribus alij gaudent, quidam submersi viuunt, alij natiuis testis inhęrent, hi silicum duritia teguntur,molliores illi velut exarmati prædæ facilè patent: sunt qui oua pariant, sunt qui viuos producant fœtus, multi gregarij, solitarij multi: alios minutissimos videmus, & quasi de plebe, alios immen-

sæ mo-

ſæ molis, qui dum mouentur, adnatare inſulas putamus, quid plura? ſuos etiam Canes, Vitulos, Equos, Gigantes mare habet: cætera penè miraculo proxima, quæ de Muſculis Balenarū ducibus, de Remora Nauiū curſum retardante, de Delphino hominum amantiſſimo narrant Hiſtorici, non eſt huius loci commemorare. plin lib. 9. c. 62.

77 Piſcibus cognatas dixerim aues. nā plurima volucrum genera natant, & amphibia ſunt, vt Alcyones, Mergi, Fulicæ, Ardeę, Cygni, Grues, & piſcium progreſſio in aquis inſtar eſt volatus auium in aere; vtriſq; alæ, & brāchię pro remis, cauda pro gubernaculo. quot verò ſunt in auium natura differentiæ? quę inter ipſas magnitudine, forma, colore, vita, morib. actionibuſq; varietas? admiramur ſimplicitatem in Colūbis, calliditatem in Paſſerulis, rapacitatem in Accipitre, caſtimoniam in Turture, modos muſicos in Luſcinia, in Pauone ſuperbiam, docilitatem humanis vocibus efformandis in Pſittaco. libet nobile eorum par in præſentia referre. Baſilius Macedo Imper. Conſtantinopolitanus Leonem filium per iniuſtā ab alijs innocenti calumniam detinebat in vinculis; Pſittacus interim iuſtitiæ defenſor in dies conquerebatur hiſce vocibus, heu heu domine Leo. quibus Pater cōmotus innocentia probè detecta adoleſcentem liberauit. Alter elapſo proximè ſęculo integrū Fidei noſtræ ſymbolum Romæ recitabat; quaſi verò ea Vrbs, quæ ex magiſtra erroris facta fuerat diſcipula veritatis, facta deindè magiſtra Relig. nō homines modò, ſed Aues etiam docere vellet, atq; habere diſcipulas. Cedrenus. Cæl Rhodig.

## Dies Mundi Sextus,

POpulus terreſtrium animantium ferè innumerabilis, atque homo ipſarum princeps extremus fuit

opi-

opificis diuini labor. Tres in ordines,ac tamquàm summa genera Sacer Historicus eas diuidit, in Iumenta, Reptilia, Bestias. Ac per Iumenta quidem animalia mansueta, & domestica intelligit,vt Canes,Equos,Boues; per Reptilia Serpentes, Vermes, Lacertas, quæ vel carent pedibus,vel paruis præditæ sunt;per Bestias animalia effera, & syluestria, vt Leones,Vrsos, Tygres, Pãtheras. omnium hic ego censum habere nolo. Ad Hominem venio microcosmũne, an potius megalocosmũ?

lib 6. de benef c.23 79 *Cogitauit nos antè natura, quàm fecit*,aiebat Seneca,*nec tam leue opus sumus, vt illi potuerimus excidere. Recogita*, inquit Tertullianus, *totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu,sensu,opere,consilio,sapientia,prouidentia,& ipsa inprimis adfectione,qua lineamenta ducebat.* Post amica igitur sanctissimæ Triados, quasi deliberantis suffragia formatus est Homo de limo terræ,idest Terra, & Aqua inter se permixtis, quæ duo elementa prædominantur in corpore humano secundum substantiam,sicuti prædominantur Ignis,& Aer secundum virtutem,vita enim præcipuè consistit in calido, quod est ignis, & humido, quod est aeris. Porrò in tàm eleganti corporis humani structura, quàm Auctores, tùm Sacri, tum profani passim describunt,mirum,quantùm elucet æterna Sapientia.

lib.de Resur.cap 6.

80 Sed excellentius longè est spiraculum illud vitæ, nempè anima rationalis,quam solus Deus creat ad imaginem sui. Immaterialis est, incorruptibilis,immortalis,vt ex eius operationibus,quæ sunt abstractæ à materia,probè colligitur. Non est forma assistens tantùm,vt falsò Auerroes opinabatur,sed etiam informans,totaq; est in toto corpore,& tota in qualibet illius parte; non tamen esse crediderim in sanguine,humoribus, vnguibus,

bus, capilis. Vnica eſt, nec animas vegetatiuam, & ſenſitiuam amat, neque partiales formas: nimirum corporis regnum, vt cætera, non capit duos.

81 Tres habet potentias. Intellectum, Memoriam, Voluntatem. Intellectus diſtinguitur in Agentem, & Poſſibilem: Primi munus eſt producere ſpecies intelligibiles, ad intelligendum proportionatas: Secũdi, ſpecies eaſd. recipere, iiſq; vti ad intellectiones eliciendas. Quæ ſpecies receptæ ſemel in intellectu poſſibili durant etiam poſt intellectiones, aſſeruanturq; in memoria intellectiua, à qua interdũ excitatæ recurrunt, & ex earum recurſu fit iterata cognitio rerum præteritarum, quæ dici ſolet reminiſcentia.

82 Ea intellectui vis ineſt, vt intelligendo fiat omnia, mundumq; ſine Alcidis ope circumferat; in quo ſolus ipſe entia etiam rationis, & chimærica fingit, hoc eſt ſimilitudinarias creaturas, quarum viuere non eſt aliud, quam eſſe obiectiuè in intellectu creato. dixi creato, nam increatus Intellectus huiuſmodi entia non facit.

83 Triplex quoque humano intellectui aſſignatur operatio. prima quæ appellatur ſimplex apprehenſio, ſecunda, quæ enunciatio, 3. quæ Argumentatio. Actualis illi ſcientia cum veterib. Philoſophis nimis liberaliter in hac re auaris neganda non eſt. quid enim? ſumus ne plumbei omnes? an trunci, ac ſtipites male dolati?

84 Neq; verò Natura ſciendi cupiditatem, tàm altè in ſitam pectori nobis indidiſſet, niſi poſſemus aliquando, quàm perſequimur fugientem, aſſequi veritatem. eſt autem actualis ſcientia cognitio intellectus diſcurſiua, certa, & euidens rei per cauſam propter quam res eſt, & quod illius cauſa eſt, & non contingit aliter ſe habere. Actus ſcientiæ, & actus opinionis, qui præſcin-

dat

dat ab actuali formidine, non pugnant in eodem intellectu de eadem re simul: immò probabiliter defendunt aliqui, eundem numero actum ex duplici motiuo, ac medio esse posse scientificum, & opinatiuum.

65 Ad scientiam actualem, quasi naturalis effectus à naturali causa sequitur in intellectu humano habitualis scientia, quæ non consistit primariò in remotione alicuius impedimenti, neq; in speciebus intelligibilibus confirmatis, & ordinatis, vt experientia videtur ostendere, sed est noua qualitas acquisita ex frequentatione actuum, cuius ope intellectus ad similes actus facilè, ac promptè exercendos roboratur.

86 Scientiæ totales speculatiuæ, quæ sunt pluriũ habituum aggregatio, tres in vniuersum numerantur, Mathematica, Physica, & Metaphysica, diuisione sumpta ex triplici abstractione à materia triplici, signata, sensibili, intelligibili. Mathematica versatur circa quantitatem: Physicæ adæquatum obiectum est corpus naturale, cuius principia causas, affectionesq; cõsiderat, qualia sunt pleraque eorum, quæ hactenus dixi.

87 Metaphysica, quam & sapientiam, & Theologiam Arist. nominat, ens vt ens vniuersalissimè sumptũ contemplatur, de quo multa, & subtilia docet. Ac primò facit illud Analogum, non vniuocum, nec perfectè præscindens à differentijs inferiorum, substantia enim, & accidens, in quæ diuiditur, etiam ipsa sunt ens. Et substantia quidem est ens completum per se subsistens, & substans alijs, in cuius prædicamento summum genus rectè assignatur substantia completa finita, siuè illa sit corruptibilis, siuè incorruptibilis, siuè spiritualis, siuè corporea. Accidens autem dicitur ex eo quod alteri adueniat, de cuius conceptu est inhærentia solum apti-

nalis, non actualis, vt ex augustissimo Eucharistiæ mysterio didicimus, in quò sunt accidentia sine vlla actuali inhærentia ad aliquod subiectum.

88 Rimatur deinceps eadem Metaphysica entis attributa, & módos. Attributa sunt Vnum, Verum, Bonum. Vnum nihil reale positiuum superaddit enti, sed solam negationem diuisionis. Verum est ipsamet entitas rei, quatenus terminat, vel terminare potest cognitionem veram, cui conformetur. Bonum, si absolutè sumatur, est illud, quod habet cōuenientiā cum sua natura, seù cui nihil deest ex ijs, quę natura sua postulat; si verò respectiuè, triplex est, Honestum, Delactabile, Vtile. Primum habet conuenientiam cum natura rationali, alterū cum sensu, tertiū cum fine. Per modos entis intelligo eas entitates, de quarū essentia sit actu determinare, & inesse in subiecto, cuius indifferentiam tollunt, Huiusmodi est relatio prædicamentalis, quæ distinguitur modaliter à proximo fundamento, multiplicaturque specie, vel numero ad multiplicationem specificam, vel numericam terminorum, quos, & actu existentes, & absolutos requirit. In ijs quoque numeratur vbi intrinsecum, per quod corpora formaliter constituuntur in loco: numeratur vnio substantialis, Actio, Duratio, & similes minutæ entitates, formæque nec per diuinam potentiam à subiecto separabiles.

89 Sunt etiam alij modi magis, & ad ens in communi, & ad Methaphysicam spectantes, existentia scilicet, subsistentia, & inhærentia. existentiæ nomine significatur actus, siuè modus, per quem essentia ponitur actualiter extrà suas causas: loquor de existentia creaturæ; Deus enim sicuti nullam habet causam, cum sit ens à se, ita nullā habet talem existentiam, quæ ipsum actu faciat

ciat extrà suas causas. Distinguuntur autem essentia actualis, & existentia inter se, non ex natura rei, sed sola ratione ratiocinata. Subsistentia, vel suppositum est vltimus terminus, & complementum naturæ substantialis, cui perfectionem positiuam superaddit ab ipsa modaliter distinctam, vt optimè colligitur ex Incarnationis mysterio, in quo definitum est contrà Nestorium naturam humanam Christi Dom. vnicam habuisse personam increatam. Inhærentia denique est vltimus terminus, & complementum accidentis in ratione naturalis existentiæ, nam supernaturaliter existere potest accidens, & non inhærere subiecto.

90 Præter scientias speculatiuas, quæ sistunt in sola contemplatione veritatis, aliæ sunt practicæ ex se ordinatæ ad opus atq; hæ quoq; intellectum instruunt, & exornant, Vnicam ex hoc genere affero moralem scientiam à Socrate primum, vti Zenophon testatur, in Vrbes inuectam. Philosophi morales eam comuniter distribuunt in Eticam, seù Monasticam, Oeconomicã, seù familiarem, & Politicam, seù Ciuilem, de quibus & Plato multis in dialogis, & copiosius pulcherrimo in opere Aristot. egerunt. Eius institutum, ac finis proximus est honestæ viuendi, Leges præscribere, quarũ ad normam actiones humanæ, moresq; componantur.

91 Fœlicitas naturalis, quæ finis vltimus est moralis Philosophiæ malè constituitur in diuitijs, subiacent enim hæ ludibrio fortunæ: fidem facit vox illa, date obolum Belisario: nec sita est in potestate, honoribus gloria, vel fama, nec in bonis corporis, voluptate valetudine, pulchritudine, robore, nam hæc omnia inconstantia sunt, ac sæpe numero fucata; fœlicitas autem bonum esse debet stabile, ac solidum. Potius ergò in bonis

ani-

animi collocetur. & quia fœlicitatem partiuntur in practicam, & speculatiuam, illa consistet in ea operatione, quæ fit secundum virtutem moralem, maximè prudentiam virtutum omnium regulam; hæc verò in contemplatione, præsertim substantiarum immaterialium, Primæq; causæ potissimum. Quod si de supernaturali altetius vitæ fælicitate, loquamur, ea reponitur à plerisq; Theologis in clara Dei visione, quæ summi boni possessio est cumulatissima, æternumque duratura.

92 Hæc, aliaque permulta intellectus humani ornamenta sunt, quibus Adam hoc die conditus abundauit; etenim, vt Scholastici docent, plenus extitit omni scientia humana, quæ naturaliter haberi potest, superauitq; mortales vniuersos in cognitione rerum excepto Christo. sed sua etiam decora voluntas habet; bonum prosequitur, malum fugit præferente illi facem intellectu: potentijs tanquam regina imperat: sui est iuris, nec vlli præter quã Deo subiecta, in cuius amore quiescit vnicè: alis euecta diuinæ gratiæ ipsius Cęli claues rapit, ac regnum. Vtinam hac voluntatis libertate vsus probè fuisset Adam, profecto infælices posteri tot calamitatum Iliadem non lachrimaremur.

93 Quoniam verò non vna tantùm animo vis, ac potentia inest, in singulis partibus suæ fuerunt pręsidia, & ornamenta collocata. nam cum facultates duæ sint ad famulatum in inferiori animæ, vt ita dicam, parte cõstitutæ, cupiditatis, & audaciæ, sua cuiq; dona virtutum indita à munificentissimo opifice fuerunt.

94 Nempè concupiscendi potentiam temperantia regit, vt sua bona sua cum ratione appetat: quæ cum sine difficultate assequi plerumq; non liceat, audacem illam vim animi, ac potentiã irascendi aduersus obstan-

tes difficultates fortitudo nunc incitat, nunc fræno coercet. quia verò finem illis facultatib. à natura præscriptũ attingere sine recta ratione non licet, Prudentia, vt cõmune donum in intellectu posita fuit; quæ vtramq; potentiam ad illud per congruentia media perduceret, hominemq: sibi constare doceret, suamq; retinere, & augere dignitatem. Et hæ virtutes satis ipsum hominem intus ornare,[a] ac in se ipso perficere poterant. Verũ extra se ipsũ, & maiora, & æqualia ei spectãda erant, d um sui originẽ à Cælesti Parente, & posterorũ, ex se recenset.

[a] Arist. Eth. l. 5. c. 6. t. 16

95 Itaque Iustitia in eius voluntate insita fuit, vt quanta Deo deberet, quanta humano generi, ea plane cognosceret, & præstare vellet. [b] Ad societatem enim præ cæteris animantib. hominem Deus formauerat. nãquid vnus, ac solus ageret in tàm vasto Terrarum imperio, si genus humanum in vno capite numeraretur?

[b] l. 2. D. de iust. & iur.

96 Adiuncta igitur fuit vitæ socia de viro virago, vt cum origine imperium viri agnosceret, compar fœlicitatis, & magnæ futura mater familias, vnde quasi per Colonias aliarum familiarum gentes prodire deberent. Hinc[c] familiæ iura profluxere, & in Patre imperandi potestatem amore natura præfiniuit: in filijs parendi necessitatem pietatis in obsequium formauit. [d] nimirum Deus, qui rerum dominum hominem fecerat, hominum Patrem esse voluit.

[c] Arist. p. politic. c.

[d] Cic. lib. 1. de nat. Deorum.

[e] Cic. lib. 3. de Repub. Firmian. c. 8 de vero cultu.

97 Et hoc quidem naturæ ius primæuum rectè dicitur, quia cum ipso hominum genere natum est. simplex, & absolutum, & sempiternum, [e] quale perfectæ naturæ congruebat, quod vlli [f] ignorare ideò non licet, quia hominis animo illud sapiens auctor inscripserat, [g] vt in se ipso leges legeret, quas ergà alios obseruaret. Sed cum libertate malè vsus Adam, posteris damnosam hæ-

[f] l. 2. C. de in ius voc.

[g] D. paul. ad Rom. ep. 1.

reditatem reliquisset, nouum ius è primæuo deductum naturalis ratio inuestigauit.

98 Inde gentium iura sancita, qnalia hominum cognatio *k* postulauit,& degeneris parumper naturæ *i* necessitas suasit. Itaq; quasi remedia malorum *l* comunis ante rerũ possessio,& dominia distĩcta sunt,positi agrorum termini regnorum,limites,bellorum inuenta defensio,rerũ æqualis permutatio,& paterni similitudine officij, ac paritate iuris regia regendis hominib. potestas cõstituta est, vt propagatione gentiũ diffusa humani generis charitas per partes melius in officio contineretur.

99 Postremò iura Ciuitatum inde fluxerunt, veluti arctioris cuiusdam societatis pacta ex cõmuni conuentione *m* seruanda, siuè tacitè, siuè expresse sancita fuerint: *n* quorum summa Lex publica ciuium salus, *o* seù commune Ciuitatis bonum est.

100 Quare iustitiam inde nuncupatam perhibent, vel quod ius cuiq; suum sistat, vel quod iuris Statũ *p* cõtineat, nam ex re, & facto *q* nomen habet. Quam ideò alienum bonum dixerunt *r* complures, & virtutem, quę tota sit ad alterum, quia *s* vt aliæ virtutes in se hominem perficiunt, quod regnum animi, & *t* maximam harmoniam Sapientes appellant, ità Iustitia ipsúm dirigit extrinsecus ad ea, ad quæ certa ratione coniungitur.

101 Iustitiæ virtus rectè definita est à I. C. *u* Constans,& perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi, est enim habitus non actus voluntatis, cuique tribuendi pro naturæ iurè, *x* ac dignitate. quæ si non in vniuersum accipiatur, sed specialiter, vt supra delineauimus, homini præscribit non quid sibi, sed quid alijs præstare debeat, aut quid ab illis inuicem exigere. ideò primo loco,& longè primo præfinit, quæ debeat. *y* Deo parenti

*h* l.3.D.de iust.& iur.
*i* l.4. eod. tit.
*l* l.5.eod. tit c ius gentium dist. 1
*m* l 1.de legibus.
*n* l. de quib. eod. tit.
*o* ex fragm. xij. tab.
*p* c. forus 2, de verb. sign.
*q* nouella Cõstit. 69.
*r* Aris. 5. Eth. c. 1.
*s* idem ibid. c. 3. tex. 16.
*t* Ari. 5 Eth c. vlt. Plato de Repub.
*u* l. x D. de iust & iur.
*x* Cic. lib. 1. offic.
*y* l. 2. D. de iust. & iur.

optimo reddere: cui etsi soluendo non est, inops debitor in quantum facere potest, exigitur. quà ratione dictum est, Pietas est iustitia [a] in Deum.

102 Hæc princeps Iustitiæ [a] pars iura, ritusq; sacrorum, quibus Deum colendo agnoscimus, & Sacerdotum iura, per quos Deum colimus, ac veneramur, continet. Proxima, quæ longo proxima interuallo est, hominibus [b] ius ac meritum, seù debitum partitur. quod cum in duplici genere sit positum, rerum, aut personarum, duplicem ideò Iustitiam, seù potius Iustitiæ munus agnoscimus. Distributiuam alteram, alteram commutatiuam. Illa virtutem, quia cogi non potest, præmijs prouocat, [c] vitia quæ foris erumpunt, [d] quia hominum cognationem violant, [e] pænis coercet; munera, & onera pro viribus imponens: [f] Geometrica semper æqualitate vtens, quia paria imparibus attribui aliter non possunt. Alia commercijs præsidet, ideoq; non hominum merita, sed rerum pondera, idest [g] causas, & iura [h] æqua lance librat: Aritmeticam rationem custodiens, quia res tantùm in commutatione rebus adæquat. Quamuis enim in commercio personas [i] apprimè intueatur, non tamen earum merita, sed iura [l] circa res ipsas inspicit, vt acquirendi conseruandi, [m] alienandiq; potestatem. Ea cognitio, quæ Iustitiæ dogmata, ac præcepta complectitur, Iurisprudentia apellatur: neq; enim propriè scientia, neq; ars dici potest, sed iustè agibilium doctrina, seù disciplina, quæ rectè definita est diuinarum, [n] atq; humanarum rerum notitia, iusti atq; iniusti scientia: quia quicquid in operationibus humanis erga Deum, vel erga alios homines iustum, vel iniustum esse potest, hæc vna præscribit. consonat & legis definitio à Stoicis desumpta, quorum placita veteres I. C. plurimum secta-

[a] Cic. lib. 1. de nat. Deorum.
[a] l. 1. §. publicum ius D de iust. & iure.
[b] l. 2. D. de iust. & iur.
[c] l. 1. D. de iust. & iur.
[d] l. Cogitationis D. de pœnis.
[e] l. 3. D. de iust. & iur.
[f] l. honor. D de mun. & hon.
[g] l. 1. & 2. D. de contr. empt.
[h] l. 1. D. de rer. perm.
[i] l. 2. D de stat. hom.
[l] l. 4. D. de testam.
[m] l. vlt. D de legibus.
[n] l. 1. §. 1. D de iust. & iure.

sectati sunt,dicitur enim Lex diuinarum,[o] & humanarum rerum regina, hoc est vt ipsa græca verba exprimunt,operationũ moderatrix,& arbitra.[p] Prima quippè,ac potissima Iuris Ciuilis pars Ius sacrorum est,quod rectè à Pontifice Pontificium dicitur, qui vt ex nomine depræhenditur,solus sacra facere[q] potest,& iura de[r] sacris constituere.

[o] l.2.§.vlt. D.de legibus.
[p] l.1.§.publicum ius D de iust. & iure.
[q] Varro lib. 4.ling.lat.
[r] c.7. & c.x. de constit. 96.dist.c.1 & per totã

103 Ex Adami dormientis Costa in Paradiso voluptatis hoc item die composita est Eua viuentium, vt diximus mater. Sed quomodo ex Costa? num tantula materię pars satis esse poterat efformandæ mulieri? Dico vel Costam fuisse diuinitus in se multiplicatam, vel factum additamentum alterius materiæ de nouo creatæ,aut sumptæ de aere circumstante. Cur autem ex hominis Costa, seù latere? vt appareat eam in consortium creari dilectionis, ne forte si fuisset de capite producta ad dominationem præferenda, aut si de pedib. ad seruitutem, contemptumque subijcienda videretur.

104 Atq; hæc fuit quam ego breuiter recensui rerũ per sex dies creatio; facta non ex Idæis vniuersalibus, quas extrà singularia existere contrà Platonem pernego (quamquam vniuersale in essendo, & prædicando dependenter à cognitione abstractiua intellectus non nego) sed ex Idæis diuinis. [s] Quò spectat illud Boetij[s] Deum in hunc modum alloquentis.

*— tu cuncta superno*
*Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse*
*Mundum mente gerens,*

[s] de consolat. lib. 3. metr.9.

Dies

# Dies Mundi Septimus,

REquieuit Deus die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat, vno contentus mundo, cum poſſet alios, atq; alios in infinitum creare, non quidem cathegorematicè, hoc enim infinitum repugnat, ſed ſyncathegorematicè. Non tamen ita requieuit, vt deſidere voluerit otioſus. Nam pręter miracula, & alia effecta, tùm naturalia, tùm ſupernaturalia, quæ ſolus molitur, agit etiam vnà cum cauſis ſecundis, vt veriſſimè dictum ſit,
Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.*

106 Quatuor autem ſunt genera, claſſeſue cauſarum. Efficiens, quæ deſcribitur ab Ariſtot. Principium primum mutationis, aut ſtatus. Materialis ex quà fit aliquid, cum inſit: Formalis, quæ rectè dicitur quod quid erat eſſe rei. Finalis deniq; cuius gratia aliquid eſt, aut fit, eiuſque ratio cauſandi eſt bonitas realis, non apparens, & ficta.

107 Inſtrumentalis cauſa, qualis eſt accidens in productione, tùm ſubſtantiæ, tùm accidentis, ſemper enim agit, vt ſubſtantiæ virtus, reducitur ad cauſam efficientem, & eſt illa, quæ operatur, vt virtus alterius.

108 Idæa pertinet quoque ad cauſam efficientem, ſi conſideretur in ordine ad opus, ſi verò in ordine ad operantem pertinet ad cauſam formalem. Sita eſt adęquatè in conceptu tàm obiectiuo, quàm formali, nam vtriq; conceptui cōmodè applicari poteſt ea definitio,
quæſt. 3. de verit. art. 1 quæ à Doctore Angelico traditur, *Idea eſt forma in mente artificis, quàm effectus imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.*

109 Pręter cauſas huiuſmodi dantur Caſus, & Fortuna cauſæ per accidens, hæc effectuum rarò contingentium

tium in agentibus propter finem, ex electione, illis in agentibus propter finem ſine electione. Cum his igitur omnibus cauſis eadem communi actione concurrit Deus ad earum effectus, etiam ad Monſtra, quæ, ſicuti vmbræ venuſtatem picturæ augent, ità pulchriorem, venuſtioremque reddunt perfectionem Vniuerſi variarum nexu rerum, ac proportione conſtantem. Inhærens quippè eſt rebus mobilibus diſpoſitio quędam immobilis, per quam diuina Prouidentia ſuis quæq; nectit ordinibus; In quo ſenſu cum Seuerino Boetio fatum concedo. l. de Conſol. proſ. 6.

Sed age, requieuit Deus, cui totus Mundus, vt Clemens ait Alexandrinus, factus eſt harmonia. Quid ni ego quoque in tâm admirabili concentu quieſcam? in exort. ad Gentes.

*LAVS DEO.*



Habe-

Habebitur Disputatio publicè SENIS
In Aula Comitiorum
Anno Mense
Die Hora



*FLORENTIÆ*
*Typis Petri Nestij, sub Signo Solis. M.DC,XXXIV*

Superiorum-Permissu.

Mei